

mereri optimè: illo ingenio, quo quod volebat præ-
stare poterat: illo tempore, quod tanti viri industriam,
dexteritatem, eruditionem, pietatem, vel maximè requi-
rebat. O tempora! ô fata! quid enim auditores? anne
iudicium magni alicujus mali futuri hoc est certissimum,
quod dum magno isti DAVIDI CHYTRAE O. B. M.
successorem idoneum in quartum jam annum sollicitè
quærimus: alter hic DAVID, pietate isti par, nec animo
in Ecclesiæ & Reipublicæ commoda inferior, nobis
nihil tale opinantibus ex ulnis quasi eripitur?

Sed ominari sinistrè nolo: hoc saltem deploro, ipla-
gam morte CHYTRAEI Academiae inflictam, nec dum
consolidatam, nunc LOBECHII insperatissimo obitu,
magna cum Academia inclinatione refricari. Consi-
luit enim, eheu! consiluit, ah quid dicam consiluit, imo
planè obmutuit nunc illa lingua Tulliana olim suavior,
quam juvenus studiosa controversias Theologicas sva-
vissimè simul ac eruditissimè explicantem, cum attentio-
ne & concursu audivit maximo, quam toties hinc ar-
gutissimè disputantem sumus admirati: desijt esse inter
vivos vultus ille jucundissimus, & gratiarum æmulus:
decus illud & ornamentum Academiae nostræ evanuit:
corona Reverendæ facultatis Theologicæ, & Veneran-
di ministerij, gemma sua præciosissima est orbata: spes
urbis nostræ quam cito, eheu! est colapsa: istud studio-
sæ juventutis oraculum, pastorum paganorum alylum,
civium solatium, abiit, obiit. Quis ergò non cum san-
ctissimo vate hinc iterum exclamet? *Quis dabit capicibus
nostris aquam, & oculis nostris fontem lachrymarum, ut cladem
quam passi sumus maximam justè deploremus? quis
non cum Polycarpo sancto illo Dei martyre ingemis-
cat, Ab domine in quæ nos reservasti tempora? quibus o-
mnia*

Term. 9, 1.

omnia